



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 298. Cui teneatur venditor rem venditam tradere, dum ean succesivè vendidit duobus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

3. Resp. tertio: Res reliqua, quae in adibus vel fundo vendito, non tanquam partes & perpetui usus gratia, sed tanquam ornatus, vel custodiae causa, vel ob aliam causam temporalem reperiuntur, non debentur emptori, l. 17. §. 7. ff. de act. empti. l. 245. ff. de V. S. talia sunt pulli & caetera animalia, l. 16. ff. de act. empti. Rura, hoc est, eruta ex terra, ut arenae, lapides, creta. Casa, hoc est; scissa & separata à terra, ut arbores caesae, ligna, cit. l. 17. pecunia in re vendita abscondita, l. 7. ff. de R. V. De thesauro invento in re vendita post venditionem dictum est supra, & controvertunt AA. esse emptoris, relicta domino fundi portione aliqua, defendunt aliqui cum Brunneo. ad cit. l. 17. in fine. De iure contrarium, nempe per totum thesaurum, (utpote qui non venit è re vendita, seu nec est fructus ejus naturalis aut civilis, nec pars illius, sed est donum fortunae & beneficium Dei,) manere venditori, qui ante traditionem manet dominus fundi, tanquam verius videri astruunt Muller. ad Struv. ff. de peric. & commod. th. 103. lit. e. & Lauterb. §. 37. citatis aliis. Secus est de thesauro invento in re vendita post traditionem; hic enim totus emptoris est, neque cum venditore dividendus, etiam dum in venditione laesio accidisset, quin &, dum venditio celebrata sub pacto retrovenditionis, ita ut emptor, redempto postea fundo, ad restitutionem thesauri non teneatur. Muller. loc. cit. Item talia sunt vasa vinaria, torcularia, nisi constet illa perpetui usus gratia esse parata, & ad fundum venditum destinata, cit. l. 17. Item statuae, picturae, candelabra, licet parietibus aedium, ne tam facile à furibus auferantur, aut corruendo damnum accipiant, sint religata catenis, aut clavis affixa, cit. l. 17. nisi tamen, ut hodieum ferè fit, in venditione dictum, ut omne fixum cedat emptori. Lauterb. §. 32. cum Franzk. ad tit. de act. empt. n. 209. & Carpz. cons. 33. defens. 10. vel nisi dictae res ita sint infixae, ut partes aedium videantur, nec facile saluae & integre separari & removeri possint; cum ex hujusmodi conjunctione colligatur, patrem familias voluisse, ut ibi perpetuo manerent. Arg. cit. l. 17. §. 3. Quod attinet instrumenta authentica ad rem venditam pertinentia, venditorem quidem tanquam ipsius arma emptori ostendere eorumque exemplar seu copiam communicare, sed non aliter tradere teneri, quam si neque ratione evictionis, neque aliam justam causam ea retinendi habeat juxta l. 48. §. 52. ff. de act. empti; cautionem tamen praestare debere, quod ea exigente necessitate extrudere velit juxta, l. 4. §. 3. ff. famil. exercitund. §. l. 29. C. de fideicommiss. &c. astruit Lauterb. §. 34. cum Franzk. l. c. n. 218. Carpz. l. c. defens. 18. & aliis. De caetero, dum inter emptorem & venditorem est controversia, utrum res spectet ad pertinentias, regulariter in dubio asserenti incumbit probatio, ut cum Klock. Tom. 3. cons. 157. à n. 44. Lauterb. §. 33. Quod verò venditor rei venditae accessorium dixit, illud emptori integrum & salvum praestare debet, l. 6. §. 4. l. 11. §. 17. l. 26. ff. de act. empt. Franzk. loc. cit. n. 150. & seq. Lauterb. §. 37.

Quaest. 298. Cui teneatur venditor rem venditam tradere, dum eam successore vendidit duobus?

Resp. primo: Dum neutri eorum adhuc tradita est res vendita, & in neutrum adhuc translatum dominium, obligatur venditor ad tradendam illam illi, cui primo vendita; est communi. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

nis & certa; eò quòd, qui prior est tempore, prior sit jure, c. 59. de reg. Jur. in 6. adeoque is jus habet, ut sibi res tradatur praeter altero, qui in eo casu nullum jus per venditionem acquisivit ad rem sibi tradendam. Unde primum emptorem sine ejus injuria praeterire nequit venditor tradendo rem secundo emptori. Quòd si verò contra hanc obligationem egerit venditor, & rem, quam injuriose secundo vendidit, non minus injuriose & illicitè, validè tamen (utpote cujus dominium, etiam post contractam obligationem tradendi rem primo emptori retinuit,) secundo emptori tradidit, in hunc rei dominium transfertur. Covar. l. 2. var. c. 19. n. 2. Molin. tr. 2. de 7. & 7. d. 369. num. 7. de Lugo, d. 26. f. 11. n. 146. primo emptore habente jus & actionem personalem adversus venditorem, non tantum ad restitutionem pretii, si quod solvit, sed etiam ad solvendum interestè, quanti nimirum ejus interest, rem ei traditam fuisse, caeteraque damna ex non traditione secuta, L. quoties. C. de R. V. L. qui tibi. C. de hered. vel act. vend. AA. citati. Qui etiam, si ad interestè agere nolit, convenire potest secundum emptorem, ubi is scivit rem jam prius alteri venditam, actione in factum, & rem in fraudem & praedictum suum ab eo emptam recuperare. Arg. l. 1. ff. de his quae sunt in fraud. credit. Molin. l. c. n. 9. Gomez. l. 2. var. c. 2. n. 20. Haunold. de 7. & 7. Tom. 4. tr. 8. n. 74. Wiestn. h. t. n. 29. Dixi tamen: & in neutrum adhuc translatum dominium. dum enim dominium ex juris privilegio sine traditione transfertur & acquiritur, (ut contingit, dum venditur aut donatur aliquid ecclesiae, alterive loco pio vel civitati,) secunda venditio rei quae traditio secundo tali emptori facta est nulla. De Lugo, l. c. n. 168. quia jam dominium rei transivit in primum emptorem, nempe ecclesiam, &c. Quin & dicta limitanda quoque sunt aliter, ita ut etiamsi res vendita & tradita secundo emptori, antequam tamen is pretium solverit, aut illud à venditore pro soluto habitum, ea traditione non obstante (utpote nullius effectus, & per quam dominium, quod non nisi soluto pretio per traditionem transfertur juxta §. venditae. Inst. de rer. divisi. & dicta supra translatum non sit,) praefertendus est emptor primus, eique facienda traditio. De Lugo l. c. n. 165. Castrop. tr. 33. d. 5. p. 27. n. 2. citans pro hoc Rebell. de obl. Just. l. 9. qu. 17. f. 3. n. 20. Molin. d. 369. Item non obstante traditione facta secundo primus emptor adhuc praefertendus sit, dum licet ei res necdum tradita quò ad dominium, in securitatem tamen contractus fuit ei hypothecata; eò quòd per hoc acquisitum sit jus aliquod in re, ratione cujus praefertur secundo, & res ei debetur praeter secundo emptore. Arg. L. si creditor. §. fin. ff. de distract. pignor. de Lugo num. 168. ac consequenter ad eam vindicatam à secundo emptore tradendam primo emptori obligatur venditor.

Quaest. 299. Qualiter perfecta venditione, ad traditionem usque venditor teneatur rem venditam conservare?

Respond. A tempore perfecti contractus ad traditionem usque talem rei venditae custodiam adhibere tenetur venditor, qualem bonus, diligens & frugi paterfamilias rebus suis adhibere solet, etsi illam diserte in se non receperit, l. 35. §. 4. ff. de contrah. empt. l. 1. §. 2. ff. de peric.